

Universitätsbibliothek Wuppertal

Q. Horatius Flaccus

Horatius Flaccus, Quintus

Amstelaedami, 1728

Vita Q. Horatii Flacci

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-830](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-830)

VITA

Q. HORATII FLACCI,

Auctore C. Suetonio Tranquillo.

Q. *Horatius Flaccus Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino & exactionum coactore; ut verò creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset, Quotiens ego vidi patrem tuum brachio se emungentem? Bello Philippensi excitus à M. Bruto Imperatore, tribunus militum meruit: victisque partibus venia impetrata, scriptum Quaestorium comparavit. Ac primo Maecenati, deinde Augusto insinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis demonstratur illo epigrammate, ubi inquit, Ni te visceribus meis, Horati, Plus jam diligo, tu tuum sodalem Hinno me videas strigiosorem. Sed multò magis extremis iudiciis tali ad Augustum elogio, Horatii Flacci, ut mei, memor esto. Augustus ei epistolarum officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: Ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficebam; nunc occupatissimus & infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc Regiam, & nos in epistolis scribendis iuvabit. Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam, aut amicitiam suam ingerere desit. Exstant epistolae, ex quibus argumenti gratia pauca subjeci: Sume tibi aliquid juris apud me, tamquam si convictor mihi fueris: recte enim & non temere feceris; quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri posset. Et rursus; Tui qualem habeo memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque enim, si tu superbis amicitiam nostram sprevisi, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν. Praeterea saepe inter alios jocos putissimum penem & homuncionem lepidissimum appellat? unaque & altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo* ut non modo Saeculare carmen componendum injunxerit; sed & Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum; eumque coegerit propter hoc, tribus Carminum libris ex longo intervallo quartum addere; post Sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita sit questus: Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris*

** 2

ne

VITA Q. HORATII FLACCI.

ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaribus nobis esse?
Expressitque Eclogam, cujus initium est,

Cum tot sultineas & tanta negotia solus,
 Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
 Legibus emendes; in publica commoda peccem,
 Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.

*Habitu corporis brevis fuit atque obesus; qualis à se ipse & in Satiris describitur, & ab Augusto hac epistola; Pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ut accusem te, quantuluscumque est, boni confulo. Vereri autem mihi videris ne majores libelli tui sint, quam ipse es; sed si tibi statura deest, * unde est. Itaque licebit in sextariolo scribas, cum circuitus voluminis tui sit † ὀτυχουάντατος, sicut est ventriculi tui. Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini; domusque ejus ostenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus & Elegi sub titulo ejus, & Epistola prosa oratione quasi commendantis se Maecenati; sed utraque falsa p' o. Nam elegi vulgares, epistola obscura; quo vitio minime tenebatur. Natus est Sexto Idus Decembres, L. Cotta, & L. Torquato coff. Decessit Quinto Calendas Decembres, C. Marcio Censorino, & C. Asinio Gallo coff. post VII. & quinquagesimum annum; herede Augusto palam nuncupato, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsequandas testamenti tabulas. Humatus & conditus est extremis Esquilis juxta Maecenatis tumulum.*

PRAE-